



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Aquila provocans pullos ad volandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Pingentis specimen quis credat futile dextræ?
 Oracli hæc, præful, non levis instar habent:
 Ingenium moresque tuos effingere vates
 Non potuit: signis exprimit illa suis.
 Ignea vis animo est, calor igneus: & tamen isto
 Ultra æquos fines non potes igne rapi.
 Præcipites motus gravitas matura coercet,
 Et luci pulchro fœdere, pondus inest.
 Fortunent alios errantia sidera, junctus
 Nos *solido fulgor*, flammave fixa regat.

EMBLEMATA QUATUOR

IN GRATIAM EXIMII CUIUSDAM ASCETÆ.

Aquila provocans pullos ad volandum.

CERNIS ut expassis volitans per inania pennis
 Fertur, & ales idem sæpe recurrit iter:
 Atque rudes pullos nido excussisse laborans,
 Provocat exemplo tendere in astra suo:
 Et modo blanditias, modo sævos ingerit ictus:
 Et timidis animos utilis ira facit.
 Haud secus ignarosque viæ, infuetosque laborum,
 Prævius ipse, poli scandere templa doces.
 Quid dubitamus adhuc tanto duce tendere gressus?
 Credite, quam monstrat, non rudis ille viæ est.

Hercules Theseum liberans.

CREDITUR Alcides audaci Tartara cœpto,
 Et penitus cæcæ noctis adisse domos;
 Theseaque, effractis nodoso robore vinclis,
 Imperio lætum restituisse suo.

Bb ij